



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica secunda

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

strum esse debet solus, & unicus Deus.  
Ita D. August. Qui vult securè, & quietè  
gaudere, in eo gaudet, qui non potest  
perire. Gaudium nostrum non est de  
hoc mundo. Cur tamen delectamur in  
eo?

*Instructio meritoria.*

Pateat cor nostrum soli Deo. Ergò  
ad ecclesiam nobiscum per trinam Visi-  
tationem. In prima recitemus *Officium*  
*de SS. Altaris Sacramento.* In secunda  
Rythmum S. Thomæ : *Adoro te devote*  
*latens Deitas.* In tertia *Litanias* de SS.  
Nomine Jesu. *Visita,* & visitaberis.

Dominica II. post Pascha.

EXHORTATIUNCULA I.

**A**mor purus non est mercenarius, ait  
S. Bernardus. O quām rari Ama-  
tores puri! quærunt potissimi, quæ sibi  
honorifica, commoda, ac delectabilia;  
pauci, quæ sunt Dei & Jesu Christi. Ex  
quorum numero sumus? ô si pauco-  
rum!

*Instructio meritoria.*

Amor impurus, & mercenarius, ut  
cordi-

cordibus pellatur omnium Christianorum , offeramus Christo Officium de Suavissimo *Nomine* suo , addendo Rythmum S. Franc. Xaverii : *O Deus ! ego amo te. Quis ut Deus !*

## II.

**Q**uod lupus inter oves , hoc peccatum est inter opera bona : *Lupus rapit , & dispergit oves* , ait hodiernum S. Evangelium. Idem facit & peccatum. Rapit , & dispergit Deum , cœlum , omnia , quis sibi non timeat à tam crudeli bestia ?

*Instructio meritoria.*

Lupus instat ! fugiamus ! in hac fuga stat omnis salus. Ut nos præserves Deus , à manè expansis brachiis recitemus Psalmum : *Miserere cum De Profundis.* Latrat dæmon : Quid tum ? non mordebit fugientem.

## III.

**D**at Christus animam pro ovibus suis. Quis hic modus , quām mirabilis ars amoris ? petit à nobis , hanc , vel illam sibi donari passionem , tristitiam , & tolerantiam tempore Crucis :

Petit

Petit voluntatem, & judicium sibi offerri  
in victimam : Sed ô ingratitudinem !  
omnia ei negamus. Reddimus potius  
pro bono in alium , pro virtute pecca-  
tum.

*Instructio meritoria.*

Impugnemus impugnantes nos , &  
passioni, quâ vehementius infestamur,  
in honorem septem Gaudiorum Beatissimæ Virginis opponamus septem actus  
contrarios cum Psalmo ter repetendo :  
*Deus misereatur nostri, & benedic no-*  
*bis &c.* Hostis cadit resistentiâ al-  
terius.

Dominica III. post Pascha.

EXHORTATIUNCULA I.

**V**ult Christus Jesus , ut gaudia falla-  
cis sæculi penitus mittamus , &  
cum Ipso in solis tribulationibus , tentationibus , & adversitatibus gaudeamus.  
O fili ! nónne durum , & asperum hoc  
mandatum est ? oportet tamen implere,  
si & ipse cupiat cum Jesu æternūm lætari  
in cœlis.

*Instructio meritoria.*

Obvias Cruces , & ærumnas hodie ac-  
cipia-